

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Correctio bo  
cum fonte primo

Non debet uicia aliena corripere  
qui adhuc uiciorum contagionibus fuerit inuolutus.  
Improbum enim est arguere quicquam in alio  
quod adhuc reprehendit in se ipso.  
Qui enim ueraciter fraternalm uult corripere ac sanare infirmitatem,  
talem se prestare fraterne utilitati studeat  
ut eum quem corripere cupit humili corde admoneat.

Sicut enim uiri spirituales alieni peccati emendacionem expectant,  
ita proterui delinquentibus deridendo insultant  
et quantum in ipsis est eos insanabiles putant.

Ysidorus libro III. de summo bono capitulo XXXII.

Non debet uitia aliena corripere  
qui adhuc uitiorum contagionibus seruit.  
Inprobum est enim arguere quemquam in alio  
quod adhuc reprehendit in semetipso.  
Qui ueraciter fraternalm uult corripere ac sanare infirmitatem,  
talem se praestare fraternae utilitati studeat,  
ut eum quem corripere cupit humili corde admoneat,  
et hoc faciens ex compassione quasi communis periculi,  
ne forte et ipse subiciatur temptationi.  
Sicut uiri spirituales alieni peccati emendationem expectant,  
ita proterui delinquentibus deridendo insultant,  
et quantum in ipsis est, eos insanabiles putant,  
nec declinant cor ad conpatiendi misericordiam,  
sed superbientes detestantur atque blasphemant.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 3.32.1-3  
(CCSL 111, P. Cazier ed., pp.269-70, ll.2-14).